



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 50. Eugenius pro vero Pontifice ab Alphonso agnitus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

Sæcul. XV.  
A. C. 1443.

§. L.

*Eugenius pro vero Pontifice ab  
Alphonso agnitus.*

*Acta Patr'c.* Ergo palam profitebatur Alphonsus, se  
tom. 13. quidem in hoc Ecclesiæ statu dubi-  
*Conc p. 1609* um longo nimis tempore fluctuasse, tan-  
dem vero, Deo inspirante, cognovisse,  
Eugenium solum esse verum Romanum  
Pontificem, certumque Christi Vicarium,  
eique ab omnibus obediendum; quapro-  
pter se omnia edicta, atque a se gesta  
contra Eugenium pro Felice, & Basileensi  
Concilio nulla, atque irrita declarare, li-  
cereque omnibus suis subditis curiam Ro-  
manam adire. Hoc edicto promulgato Eu-  
genius paulopost Alphonsum ab omnibus  
censuris antea incursis absolvit, omnes-  
que, qui prius Basileensibus adhærebant,  
aut Regi usque ad primam Julii diem, &  
sequens bimestre anni currentis contra  
decreta Apostolica favebant, pristinis ho-  
norum, & dignitatum gradibus restituit,  
ac quocunque modo ob anteacta vexari  
prohibuit, nullatenus tamen hujus gra-  
tiæ participes fieri, atque comprehendi  
voluit Cardinales ab Amadæo creatos,  
quibus, ut ajebat, alio modo providere-  
tur, si Papæ clementiam promererentur,  
atque erroris sui veniam submisse postu-  
larent.

§. LI.